

QK. 531, 16.

B. m. II 6

II c  
30

X 1860563

I. N. I. T.  
EXERCITATIO PHILOLOGICA  
*de*  
**LINGUA HEL-  
LENISTICA,**  
*Quam*  
*D. O. M. A.*  
*Sub*  
*PRAESIDIO*  
**M. SAMUEL MOVI**  
Colbergæ-Pomer.  
Publico placidoꝝ συμφιλοθεάτρῳ Examini  
exhibet

**PETRUS DUNCKERUS**


Stralsund.

A. D. 6. Febr. A. O. R. M. DC. LXI.  
In Auditorio Minerii  
Horis Matutinis.

---

VVITTEBERGÆ.  
Typis JOHANNIS BORCKARDI.







I. N. J. T.

EXERCITATIO PHILOLOGICA

DE

LINGUA HELLENISTICA,

SECTIO PRIOR

De

HELLENISTIS.

§. 1.

Olidae frugis plena agitatur quæstio  
de Hellenistarum existentiâ, nec ad  
inanem nominis umbram eventi-  
landa suscipitur, ceu alij temerè ju-  
dicant, qui nullius aut exigui mo-  
menti putant, ac tanti non esse, ut  
tot verba altercantia funditentur ad  
eam disceptandam examinandam  
que. Hoc ipsum judicium cum solenne quoq; sit gra-  
vioribus Viris; idcirco dimittimus illud inta-  
ctum, disquisituri saltem de hac ipsâ nobili atque  
perutili materiâ, salvis interim aliorum opinionibus,  
in quantum è solis Philologorum scriptis adducenda  
& deducenda est.

§. 2. Tangenda in antecessum videtur famosa  
distinctio inter Ἑλληνας & Ἑλληνιστας, quâ, ceu funda-  
mento superstruitur controversa hæc materia. Quo-  
rum illi pagani dicantur, isti nempe Hellenista Judæi  
Græcissantes & Græcis Biblis ex Ebraico idiomate  
conversis in Synagogis utentes. Sed discrimen hoc

A 2

per.

perpetuum non est, nullisq; suffultum rationibus. Hoc  
ut melius investigemus & exploremus per gradus ad  
verbum ipsum primitivum, à quo cætera derivata sunt,  
perveniendum. Ελληνιστής deducitur à verbo ἐλληνίζειν.  
Hoc verbum ἐλληνίζειν à nomine Ἑλλην. Nam qui Ἑλλην  
est, ἐλληνίζει, qui ἐλληνίζει est ἐλληνιστής. E. qui Ἑλληνιστής est  
secundum Doctores Neotericos, lingua utitur Helle-  
nisticā. Et ubivis fere Ἑλλην & ἐλληνιστής Synonyms  
appellantur, quod clarius patebit ex Ἑλληνο- accep-  
tione tribus modis usitatâ. Ελλῆνες primò nomen est  
unius & certæ gentis, ut fuit olim cum ita propriè di-  
cebantur, qui Phthiotida Thessaliæ incolebant, non  
dum communicatâ hac appellatione cœteris Græciæ  
gentibus. Ut apud Homerum est de his qui sub Achil-  
le militabant ad Trojam:

Μυρμίδονες δ' ἐκαλέστο καὶ "Ελλῆνες καὶ ἄχαιοι.  
Ελλῆνες secundò appellantur generali nomine omnes Græ-  
ciæ gentes & populi, non solum Aeoles, Dores, Jones  
& Attici, sed etiam Aetoli, Boeoti, Megarenses, Arca-  
des, Elei, Cares, Pamphili & cœteri omnes omnino po-  
puli, qui ἐλλήνων appellatione olim censebantur. "Ελλῆνες  
tertiò vocantur, qui emendatè & sine vitio loqueban-  
tur Græcè. Hinc ἐλλήνων γλῶσσα apud Phrynicum  
pro purissimâ & maximè castigatâ Græcè loquendi ra-  
tionē, qualis tunc habebatur Atticorum dialectus.  
Verbum ἐλληνίζειν in hac notione idem quod ὁρθῶς dia-  
λέγεται ut Dicæarchus dixit. Præter has tres τις ἐλλη-  
νίζειν καὶ ταῦτα ἐλληνισῶν notiones non est quærenda alia...  
Nam quarta non dabitur.

S. 3. Videndum ergo numnè in hac trinâ accepti-  
one, quæ à derivatione & primâ impositione aliena non  
est, termini controvërsi Ἑλλην & ἐλληνιστής æquipollen-  
tes rectè censeantur, quod singularum acceptiōnum  
intu-

intuitu atq; examine ultrò constabit. Primam quod attinet notionem, quâ imprimis ἐλληνισμῷ proprietate illi soli ἐλληνίζειν dicebantur ac celerabantur, qui dialeto ἐλλήνων propriè ita dictorum & in Thessaliâ habientium utebantur: hi promiscuè à scriptoribus Græcis appellatione ἐλλήνων & ἐλληνισῶν donantur, quod citra neglectum αἰκε̄βειας, quam curiosè sectantur, fieri nequit. Oportet ergo nos discentes Magistris istis docentibus fidem adhibere, utpote quorum præscripta in addiscendâ literaturâ Græcâ persequi jubemur ac tene-  
mur. Immò Attici inter omnes Græciae populos ob purissimum emendatissimumq; loquendi Græcè genus gloriōsi ac celebres omnem Græcæ eloquutionis ad perfectum excolenda simulatorem ἐλληνισμὸν salutarunt. Unde ἐλληνής & αἰκε̄βειας idem est apud Photium. Quid nos à præscripto imitandi modo detineat? non præsto est quicquam; cum Atticorum dialectum pro norma recte loquendi Græcè cum cæteris Græciæ incolis jure meritòq; venerari debeamus. Hanc imitari contendebant jam olim quicunq; Græcis literis operam dabant, præcipue qui Rhetores & Oratores evadere satagebant, & hodienum obligantur quotquot aliquam in dicendo aut scribendo famam apud Græcos Doctores consequi student. Erepto primæ acceptio-  
nis præsidio, descendimus ad alterum prædictæ vocis significatum, qui magis catholicus & universalior, non certo loco adhærens, quocunq; modo aliquis Græcè sciret, dummodo & intelligeret Græcè loquentes & à Græcis Græcè loquens intelligeretur, satis erat. Inter ipsos etiam Græcos, qui rusticorum more & idiota-  
rum proloqueretur & pronunciaret Græcum sermo-  
nem, non minus hac notione generali ἐλληνίζειν puta-  
batur, quam qui sectaretur Aulicorum in loquendo de-

licias & Rhetorum calamistros. Quo posito expirat  
quoq; distinctionis ratio inter Ἑλληνας & Ἑλληνιστας. Sic  
Cares ipsi, quos Homerus Βαρεφωνες appellat, κακοὶ<sup>ς</sup>  
Ἑλληνίζοντες & semibarbarè loquentes, Ἑλληνίζειν tamen  
existimabantur, quia pleraq; Græca mixta loquelæ suæ  
inserebant. Hellenisticarij quidem ut à Cl. Salmasio  
salutantur in Comment. de Hellenistica, item in Fune-  
re lingue Hellenisticae, in hac acceptione robur quæ-  
runt, sed parum inveniunt. Nam si hæc acceptio tituban-  
tes Hellenisticae patronos sublevare apta esset, sequere-  
tur, non eos modo, qui phrasin adhibet Syriacā & Hebra-  
icam & verba Græca (quo strictissimo significatu Helle-  
nistæ in præsenti intelligendi sunt) Hellenistas dicen-  
dos; sed generaliter omnes Græcas & barbaras nationes,  
quæ lingua Græcam didicerint, hac appellatione gra-  
vandas esse, modo uterentur Græcis verbis & compo-  
sitionibus quibuscumq; barbaris. Addemus & ultimam  
significationem, quæ dextrè exposita pro nostro insi-  
tuto haut minus militabit. Tertia acceptio primæ affi-  
nis est, in quantum ἐν τῷ ὀρθῷ διαλέγεσθαι utraq; conve-  
nit, excepta saltem terminatione & appropriatione lo-  
cali, quæ dialecti proprietatem in totum non constitu-  
it. Sufficit si utraq; acceptio in conciso & stricto Græ-  
cae dictionis genere amicè conspirat. Si jam Ἑλλην &  
Ἑλληνιστὴ ibidem æquipollentes fuerunt! E& hic, vi con-  
sequentiæ ἐν τῷ ὀρθῷ διαλέγεσθαι consistentis.

§. 4. Asserta modo citatorum terminorum om-  
nimodâ ferè convenientiâ: superest ut per modum qua-  
liscumq; determinationis pauca adjiciamus seu limita-  
tiva, ne δέση nostræ vis atq; bellum ab adversâ parte  
indicatur. Observand. ergo (i.) Quod non à nobis im-  
pugnetur, an talis differentia inter Ἑλληνα & Ἑλληνιστὴν  
quandoq; in lectione autorum occurrat, ut Ἑλλην na-  
tionis

tionis atq; gentis distinctivus terminus sit; ἐλληνιστής contra loquacē χαρακτῆρē designet. Neq; (2.) omne discrimen inter Hellenistam & Hebraistam sublatum cupimus. Multò minus (3.) omnem discretionem inter Judæos Hellenistas & Hebraistas evertere instituti nostri est: Sed (4.) deniq; hoc primariō & unicē ferē quæstum haec tenus est: An inter Hellenes & Hellenistas detur distinctio linguae seu dictionis, quam ex præmissis in contrarium rationibus destructum ivimus. Hæc enim opinio neq; argumento nititur, quō stare possit, neq; autoritate se tueri haec tenus potuit, sed gravissimis rationum ponderibus ab adversiorum & contradiccentium parte obruta interit.

§. 5. Nunc quærendum & examinandum: an Hellenistarum descriptio vivis quasi coloribus ab eorum auctoribus & propugnatoribus depicta, omni omnino determinatur talo? Assertio Hellenisticariorum hæc est, quæ Hellenistarum nomine donandos affirmat omnes Judæos in varia orbis loca dispersos, sub quo cunq; aëre, & in quo cunq; loco consistentes exules, præter solos Judæos & Hierosolymæ incolas, quos Hebraïas censent nuncupandos, illosq; in Synagogâ Græcam translationem Bibliorum usurpare. Enim vero non verisimile est, nec videtur verum Judæos in Perside & aliis Occidentis partibus genitos & educatos, in quibus nullus esset apud plebem Græcæ lingue usus, Græcam loqulam in communi sermone adhibuisse. Quod idem est ac si quis dicat, Judæos hodiè Germanos, Lusitanos & Italos lingue Gallicæ usum habere promiscuum, quia frequentatur hæc lingua in aulis principum Germaniæ, Italiæ & Hispaniæ, & à peritis linguarum, qui in illis locis versantur, etiam solet usurpari. Contrarium ex scripturâ firmatur, quia Actorum Hellenistæ Hierosolymi-

lymitani fuere vel incolatu vel origine. Satis est incolatu fuisse tales. Cum enim eos origine velint esse Judeos, si ad originem accedat incolatus, nihil illis deesse potest, quominus puri puti & germani habeantur Judei, ac proinde etiam Hebraisti, si Hebraistæ dicebantur propriæ, qui in patriâ sùâ habitabant. E. & hac etiam parte Hellenistarum & Hebraistarum appellatio in eandem personam congruit. Imo concedimus & nos Hellenistas fuisse Judeos, sed religione, ad quam accesserant per proselytismum. Porro: An Judei aliqui originarij Biblia Græcè ex septuaginta interpretatione editione legere soliti sint in Synagogis, disquirendum; quod tamen ex defectu testimonij à venerandâ Antiquitate posteris relicti verius destruitur quam adstruitur. Et ne verbis desit testimonium, prodeat in rei fidem antiquiorum scriptor venerabilis Epiphanius sequenti modo verba faciens: Nazaræi ex Judæis Christiani fuere, qui & legem observarunt. Cum ad legis ceremonias adjunxit essent doctrinam ac fidem hoc etiam ex Judaismo retinuerunt, ut Græcâ lingua in sacris suis non uterentur, quantumvis eâ lingua conscriptum esset Novum Christi Testamentum, cuius fidem amplexi fuerant. Ulterius dicit, eos universam scripturam sacram Hebraicè legisse. Nec Epiphanius locus accipiendus de solis Judæis Judæam incolentibus. Nam de omnibus intelligit, quia tunc temporis omnes erant exules sine urbe, sine templo, & extra Judæam ipsam omnes extores. Et de nihilo proinde est differentia illa Judæorum exulum, quibus Ἑλληνιστῶν nomen proprium assignant, & non exulum, qui Judæam inhabitarunt, quippe quæ nulla Epiphanius seculo fuit. Si quisquam Judæorum Græcas scripturas frequentavit, de illis id maximè verum, qui in Græciâ natī Græcæ linguae usum cum lacte

lacte imbibérunt. Nec tamen mágis verisimile Græcos Judæos Græcæ linguæ usum in Synagogâ adhibuisse & Græcorum Bibliorum translationem celebrasse, cum scripturas legerent, quam nunc est verum de Ju-dæis Germanis, Italîs & Lusitanis. Ut enim isti, quamvis eorum locorum, in quibus nati & educati sunt, lo-quellâ imbuti habeantur, non idè Germanicè aut Italicè aut Lusitanicè versa Biblia in Synagogis p̄ælegunt, sed pura puta Hebraica, quæ & pueris suis discentibus insinuant. Si qui Judæi usi sunt versione Bibliorum Græcanicâ à 70. Senioribus proditâ, docemus non origine illos fuisse Judæos, sed progeniem Græcorum profelytorū, qui non minus Judæi vocabantur ob religi-onem. Quo de videarur Tacitus Annali secundo ubi actum ait tam de Ægyptiacis, quam de Judaicis sacris pellendis.

S. 6. Deniq; nec septuaginta interpretes jure Hellenistæ vocantur. Non certè hoc nomen sibi vendicare possunt, si vera est Hellenistarum definitio, quam posuerunt. Eos nempè sic dictos ex Judæis, qui extra Judæam habitarent in exilio sive diasporâ, & qui in Synagogis uterentur Bibliis Græcè versis. Neutrū 70. illis Senioribus convenire, certum est ex p̄æcedentibus, & porrò liquidò indè liquet, quod omnes Judæi exules ita vocarentur Hellenistæ. Omnes autem exules existandi, præter illos, qui Judæam inhabitabant. At in his Judææ incolis Septuaginta interpretes, qui Hierosolymitani fuere E. non ἑλλήνεσσι censendi. Aut si Hellenistæ, ea, quæ ab Hellenistarum autoribus adducitur definitio duabus partibus constans, utrāq; parte falsa deprehenditur. Nam & nullas Græcas scripturas in suis Synagogis celebrarunt tales Hellenistæ, & in Ju-dæâ ipsiq; adeo Hierosolymis habitabant. Quid ergo indè colligimus? Non fuisse Hellenistas 70. interpretes.

B

Sect,



SECTIO POSTERIOR

De

HELLENISTICA LINGUA.

§. 1. Expedivimus hucusq; unum alterumve, partim de Hellenistarum existentiā; partim de eorum descriptione, hujusq; ad Judæos originarios exules, & Græcè Hebraicèq; scientes, nec non ad 70. interpres factâ applicatione, additâ simul brevissimâ inquisitione, num iure decantatum nomen iisdem ab interpretibus impositum fuerit nec ne? Restat ut porrò disputeamus & quæramus, cum ex parte probatum fuerit, nullos unquam tales Judæos hoc nomine dictos fuisse: an etiam Hellenistica dialectus horum propria, unquam extiterit? Multi supersunt hodienum adhuc, & fuisse quam plures olim quoq; perhibent materiæ hujus amantes, qui Hellenistarum patrocinium masculine suscepérunt: quibus verò rationibus ac demonstrationibus ejusmodi propugnatores instructi, nostrum non est curiosè quærcere & disceptare, cum tantæ autoritatis atq; magni nominis sint, ut iis, salvâ observantiæ & pietatis contentandæ teneritate, refragari non valcam. Sed discedere tantum nonnihil volo ab aliis, citra tamen contradicendi animum, non contemnendi judicij viros præentes sequutus. Sciendum a. est, nominis controversiam hic à nobis non moveri, quasi parum propriè vocetur illa Hellenistica, quæ aliter nuncupanda sit, de re ipsâ quærimus, an fuerit? hoc est an dialectus Græca hujus modi veteribus nota olim fuerit, quæ verbis Græcis contexuerit orationem Hebraicam.

§. 2. Nullus autor meliorum & vetustiorum meminit plurium dialectorum, quam quætor expunctâ ex hoc manipulo cā ipsâ, quæ xoirè vocatur. Strabo lib. 8.

qua-

quatuor per omnem Græciam dialectos viguisse, nec  
plures tunc notas fuisse, aut ab antiquitate traditas scri-  
bit. Plures ibidem in Græciā non fuisse nationes ra-  
dit, sed antiquitas totidem tantum, quod eo tempore  
cognitæ essent dialecti, nempè quatuor. Nationes fue-  
runt sequentes: Aeoles, Dores, Attici & Jones. To-  
tidem ab his dialecti proditæ. Postea plures gentes in  
Græciam se effundebant, non plures rāmen dialecti fa-  
ctæ; sed ex earum mixturā temperatæ aliquot, perinde  
ut magis aut minus ad aliquam earum primogeniari m  
quatuor accederent, ita nomen ejus, ex quā plus acce-  
perant, mutabantur. Conf. Istorum lib. IX. Cap. 5.  
Plutarch, in Tractatu de dialectis Homeris non plures re-  
gissentem. Apollonius Discolus, qui sub Marco Anto-  
nio vixit, quatuor tantum commendat, qui librum de  
his composuerat, teste Suidā. Is equidem κοινὸν me-  
minit, non tamen tanquam dialecti, sed ut linguae, quae  
apud omnes promiscuè, & præcipue apud eos, qui scri-  
hebant, in usu erat. Fuit & olim ελληνική ex mente  
nonnullorum, in numero ac censu dialectorum Græca-  
rum τὰς ἑλλήνων propria, quamdiu Ἑλληνες dicebantur,  
qui Thessaliam & Macedoniam tenebant. Ubi com-  
municari hoc nomen coepit omnibus Græciz populis;  
definitione dialecti excidit, communisq; facta, non jam  
τὰς κοινὰς appellationem accepit, ubi cæteræ dialecti  
abolitæ sunt. Ubi sexta est ελληνική?

H. 3. Dispiciamus itaq; de nomine primum, an  
Hellenisticę nomen conveniat ei phrasī, quæ verbis Græ-  
cis Hebræos concipit intellectus. Ita ajunt, qui pro  
stylo Hellenistico acriter decertant. Translatio vel  
scriptio Græcis verbis contexta, & Syriacā aut Hebraicā  
phrasī expressa, Hellēnistica juxta hypotheses eorum

aptè & convenienter vocatur. Verum enim verò hanc compositionem & commixtionem ex Græcis verbis & Hebraicā phrasinon potest denotare Hellenistica vox sola. Nomen Hellenistica inadæquatum saltem est, estimatum ex solis verbis, ad quod tamen dandum, utrumq; tum verba tum phrasis, quod suum est, conseruant. Neutrum scorsim spectatum per se prævalere debet ad tale nomen Græcis scripturis faciendum. Nam propter verba si scorsim spectemus, cum Græca sint, Ἑλληνικὴ indè, non Ἑλληνιστικὴ vocari debet. Si phrasin consideremus, quæ Hebraica est, jam non Hellenistica, nec Hellenicæ appellatio ob phrasin ei competeteret, sed Hebraicæ vel Hebraisticae, nomine ergo composito GræcoHebraica salutanda foret.

§. 4. Deinde etiam in quæstione est: an Hellenistica dialecto scriptum fuerit N. ac V. T. Sed cum hæc ab illâ, quæ  $\theta$ . præced. expedita est, pendeat, priore declaratâ posterior solvitur. Nam si constat, nullam extitisse Hellenisticam dialectum, constabit etiam cā lingua, quæ nulla unquam fuit, non finisse conscripta Biblia Sacra. Hoc utiq; ad rem quoq; pertinet, non ad meram appellationem. Et plurimum præterea refert eam de medio tolli dialectum, ex quâ tot falsarum & infrunitarum expositionum in N. T. sèges enata sit. Notari hic volo, quod lingua, quâ verbum DEI propinquatur, sit vel ἀρχέρυτος primogenia & originaria; vel ἔκτυπος orta seu derivata, in quam translatus est tex-tus primogenius. Illam quod attinet, tenendum est, in T. V. potissimum esse Hebream. Dico potissimum propter particulas nonnullas & voces quasdam & idiosyn-cismos aliarum linguarum alicubi occurrentes. Observarunt enim haec tenus Critici non tantum Chaldaica & Arabica quædam, sed etiam voces Ægyptiacas, Græcas,

Persic.

Persicas in codice V. T. repertas esse, de quibus consili-  
lendus Summè Reverendus D.N.D. Calovius, Patronus  
atq; Praeceptor noster maximus Tom. I. in A. C. p. 317. 321.  
Quæ lingua V. T. originaria nobis in præsenti contro-  
versa non est; quæstio saltem de translaticâ linguâ in-  
stituitur, ut potè de versione 70. interpretum. Istam ve-  
rò N. T. linguam eamq; primogeniam & ἀρχέτυπον unicè  
Græcam esse omnino fatemur. Exciunt quidem non-  
nulli Evangelium Matthæi & Epistolam ad Hebr̄cos non  
Græcè sed Hebraicè in originali, & Evangelium Marcii  
Latinè primum scriptum esse, sed quod hæc sententia  
indubitac fidei non sit, probarunt abundè Venerandus  
Dn. D. Waltherus in Offic. Bibl. p. 66. & Gravissimus Theo-  
logus Dn. D. Calovius Tom. I. in A. C. p. 439. & in Proleg.  
Inst. Theol. p. 74. De qualitate linguæ utriusq; fœderis  
quaeritur, sed diversimodè. Quod concernit linguam  
V. T. non ἀρχέτυπον, sed ἑκτυπον septuaginta viralem ver-  
sionem sub examen revocamus. Et quæstio est hac vi-  
ce, quod nomen versioni Græcæ septuaginta interpre-  
tum esse debeat? Ad quam præviâ Antiquitate respon-  
demus, eam dicendam esse Græcam, uti omnes anti-  
qui auctores Græci ἡλληνικὴν ac ἡλληνιδα appellant, Latini  
eam Græcam, licet Hebraicis intertextam. Aquâ lo-  
quendi formulâ antiquissimâ juxta ac verissimâ ne-  
latum uguem, imprimis nullâ imperante necessitate,  
recedo. Nam 70. interpretes Græcè peritissimos fu-  
isse non potest negari. Et quamvis demus, non Demo-  
sthenicè scriptam esse versionem Bibliorum, non ta-  
men indè sequitur: Sinon Demosthenico E. Helleni-  
stico stylo fuit elucubrata. Nec sanè debuerunt, imo  
nec fortassè potuerunt 70. editores versionem suam De-  
mosthenico nitore elaborare, cum nec tempore qui-  
dem Demosthenis omnes autores Attici & Oratores

scripscrint Demosthenicè, quia nec Demosthenicum  
genium habuerunt. Lysias & ipse Atticus, Atricè qui-  
dem peroravit, sed non Demosthenicè. Alia Platonis  
elocutio, alia Aristotelis fuit. Nec unus aut alter Græ-  
cis Rhetor universis populis Græcè loquentibus id o-  
rissimossuos, formulassq; loquendi præscribere, aut pro  
prætoriâ quadam autoritate potest obtrudere, qui licet  
forte tam nitidè & eleganter haut loquantur, puriratis  
tamen laude protinus non excidant. Et si dicendum  
qua causa fuerit, cur zo.interpretes in componendâ ver-  
sione modum loquendi acroamaticum Demosthenis  
non imitati fuerint; videtur hæc subsuisse ratio, quod  
verbum verbo in pluribus reddere eura verint, alias lon-  
ge ut ita dicam, Graciorem & ab omnibus Hebraismis  
immunem potuissent reddere translationem. Hebrai-  
smi enim imprimis phrasæ & voces compositas con-  
cernentes non aliunde exorti sunt quam à vertendi mo-  
do, qui se verbis alligat: qui sensu exprimere non con-  
tentus, etiam vim ipsam vocabulorum repræsentare sa-  
tagit. Et cum Hebraicos loquendi modos inseruere,  
non ex Gracâ copiâ, quâ abundabant, eos hauserunt,  
sed ex textu Hebraico, cui nimis se in vertendo adstrin-  
gebant, sumserunt.

§. 5. Nunc porrò de linguis qualitate & indole lin-  
guis originalis N. T. agendum. Dubitatum à multis  
valde hactenus fuit, an purè Græca sit, an verò Helleni-  
stica seu mixta, & ut quidem loquuntur, Hebræo-Græ-  
ca. Prius asseruit olim B. Wilbelmus Lyferus l. m. i-  
dem quoq; propugnabat Sebastianus Pfochenius in  
Diatribâ sua de Lingua Græca N. T. Puritate. Novissi-  
mè a. id demonstravit per totum N. T. in No-  
tis suis B. Erasmus Smidius. Quæritur autem hac vice  
~~an~~ filius N. T. sit verè Græcus, nec ab aliorum Græcorum  
H. 2.

Homeri, Demosthenis &c. sīlo alienus ob inspersos, ut vul-  
gō putant, bīc īdē Hebraismos? Ubi autē omnia statū  
controversia rītē formandus. Non quāritur primō, an  
inter stylum Græcum N. T. & profanorum scriptorū  
omnīmoda detur convenientia; sed an qualisq; sal-  
tem. Hinc concedimus ultrō totam dictionis indolem  
faciemq; stili, ac totum corpus orationis N. T. esse se-  
paratissimum à Græcitate in profanis autoribus usitatā.  
Cujus diversitatis atq; differentiæ intuitu non inconve-  
nienter stylum Biblicum aut ideam sacram appellitare qui-  
dem volunt: sed secundō hoc quāsti nostri primarium  
& palmarium est: An concessa modo distinctissima u-  
triusq; stili prædicti ratio ex Hebraismis multā farragine  
occurentibus, uti communiter opinantur, resulter  
necne? Ad quod respondemus intrepidē negando af-  
sertos hactenus Hebraismos tam verbis quam dictioni-  
bus intertextos. Purissimè e. fontem N. T. fluere, ma-  
sculus evicit labor Claris. quem diximus, Smidij & e-  
vincet aliorum præterea, nihil ut ejus controversia  
amplius restet. Neq; enim satis existimo negasse hæc &  
illa, nisi ita etiam habere rem demon-  
stretur.

---

Ad  
DISPUTATIONIS  
PRÆSTANTISSIMUM  
RESPONDENTEM.

Fungere quas intras partes; non parva voluntas:  
Exercet magnos illa palestra viros.  
Nec temerè est, pure manantes nectare fontes  
Et proprijs claros afferuisse vijs.  
Atq; aliena sacrō q̄ vi promere se putet ore,  
Frustrā est, & metis excidit ille suis.

Hos

QK THE 30

Hos scopulos inter syrtesq; & saxa maligna  
Sic veheris, felix ut tibi cymba volet.  
Et felix semper, semperq; integra volabit,  
Quæ sapiens Syrias nescit adire novas.

Johannes Ericus Ostermannus  
P. P.

*Symbolum*

Sinceri affectus & quadrati animi,  
*VIRO-JUVENI*

Perquam Eximio Dn. DISPUTATURO;  
Amico atq; Conterraneo suo multum  
colendo dilectoq; defert:

**P**urus uterq; fluit gemini fons foederis: Ergo  
Sartago temere singitur esse styli.  
Spiritus ipse DEI scripturæ creditur autor,  
Qui simili modo labis & autor erit.  
Hoc fidei teneræ non est conforme fateri:  
Nam mens sancta DEUS, sanctaq; Verba cluent.  
Quæ dum perpendis studio, Dunckere polite,  
Ingenij vires prodis abundè Tuas.  
Gratulor ex animo, prosint conamina! restant  
Indè Magisterij ferta ferenda Tibi.

M. SAMUEL MOVIUS Disput. Praes.

**A**rduos volvens animo labores  
Prodit in scenam comitante docta  
Virginum turbâ, benè differenti  
Plaudit Apollo.  
Pergito, fidus mihi qui sodalis,  
Scandere excelsas Heliconis arces:  
Perfer, obdura, didicisse claras  
Proderit artes.  
Strenuus Phæbus, mihi crede, multo  
Fœnore & donis operas rependet.  
Fiat & voto DOMINUS benignas  
Porrigat aures!

Joachimus Burgmann.

VDT

262

